



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Gvilielmi Becani E Societate Iesv Idyllia Et Elegiae

Becanus, Gulielmus

Antverpiae, 1655

Widmung

urn:nbn:de:hbz:466:1-12773

P A R V V L O,
 DEI VIRGINISQVE
 V N I G E N I T O,
 I E S V
 C Æ L I T E R R Æ Q V E
 D E L I C I O.

PŒSIN non vt alias scien-
 tias acquiri vulgò aiunt;
 alias studio comparari;
 ad hanc frustrà niti, quos
 natura eò non ferat: alias vt ramos
 adoptiuos animis inferi, hanc instar
 primigeniæ stirpis ab radice pul-
 lulare:

lulare: nasci poëtas, non fieri. Sunt tamen qui dicant ab amore se factos, nec nascendo sibi, sed amando ingenium venisse. Cur id ego expertus non sum, Puer dulcissime, cum de te scripsi? cur ingeniosum amor non fecit? an usquam magis exerere se debuit? an quidquam amabilius quam tu?

Plal. 47. *Magnus Dominus*, dictum de te olim, & *laudabilis nimis*; parvus factus es, & *amabilis nimis*. Quem amorem maiestas non obtinuit, benignitas extorquet. Tunc te non amare crimen fuit; nunc etiam inhumanitas est. Potentes erant diuinitatis illecebræ, sed uti magnes maiore vi ferrum attrahit, dum

dum ipse ferro cinctus est; ita postquam humanos artus induisti, hominum corda potentiùs rapis. Præ mortalibus tamen eam vim Superi senserunt. E cælo ad stabulum attracti sunt, & relicto folio tuo, tibi ad præsepe applauserunt. Fortunati pastores, quibus cælestes cantus audire licuit! sed inde feliciores, quòd & ipsi præcones tui fuerunt. Hos æmulari ausus sum, & te carminibus meis materiam facere. Quidni auderem, quando post Cælitum laudes opilionum tibi studia placuerunt? Nec vereor ne tui amantibus nihil profim. Lignis etiam viridibus, qui iam ardet, fouetur ignis; nec ex hortis

C 3

tantùm

tantum amœnissimis, sed etiam
è vulgaribus pratis apes mella col-
ligunt. Cæli terræque delictum ca-
no, quid de carminis elegantia sol-
licitus sim? Artis lenociniis alibi lo-
cus sit; hinc omnis in argumento
gratia.

